



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas,  
Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

47. Do. 14. post Tr. de 10., Leprosis. Luc. 17.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)

ptissimi & pœnitentiæ administrandi, ut  
retur à peccatis, impertiuit.

DOM. XIV. POST TRIN.

De 10. Leprosis. Luc. 17.

1. **C**HRIStO occurrente, 10. leprosi steterunt à longè, & clamauerunt IESU præceptor, miserere nostri. Considera per leproso 10. designari omnes peccatores, vel transgressores præceptorum Decalogi, vel ceteros qui incurabiles quasdam retinent imperfectiones. Vt enim leprosi suo foetido anhelitu alios corrumpunt, ita imperfecti & leues sua conuersatione aliis obstant. 2. ut in leprosis multa minuta & foeda corrumpunt hulcera, & semper sitiunt, ita in imperfectis, noui semper defectus oriuntur, & nullis voluptatibus vel recreationibus satiantur. 2. Considera, ut tales mundentur, debere stare à longè, id est, valde se humiliare, & indignitatem ac foeditatem suam agnoscere. 2. toto corde auxilium Dei inuocare.

2. **C**hristus iussit, ut ostenderent se sacerdotibus, & dum irent, mundati sunt. Considera Christum mittere leproso ad sacerdotes, antequam eos curasset, ut discas morbos animi

animi non tantum confiteri Deo, sed etiam sacerdoti. Curati vero sunt in via, dum irēt, ut discas quanta sit virtus fidei & obedientiæ, & ideo libenter inspirationi diuinæ parere.

*Vnus videns se mundatum, rediit, & voce magna supplex Christo gratias egit, & hic erat Samaritanus & alienigena.* Considera, leprosum hunc, quia gratus fuit, maiora dona meruisse, nempe sanitatem animæ, Christus siquidem ei dixit. Vade, fides tua te saluum fecit ceteri nouem, quia ingrati, anima & corpore perierunt. 2. considera vnum tantum ex decem saluari & veram esse sententiam Christi. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et saluari quidem alienigenam præ aliis, ut scias Deum non esse acceptorem personarum, sed omnibus gratiam suam impetiri, qui eam non respiciunt.

DOM. XV. POST TRIN.

*De duobus Dominis, Matth. 6.*

**I**ESVS dixit discipulis. *Nemo potest duobus Dominis seruire. non potestis Deo seruire & mammonæ.* Considera hic per duos Dominos, intelligi duos contrarios, Deum

G 3 & da.